



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUI SUPERIORE BEATA MARIA VIRGO «DE BEGOÑA»,**

**PATRONA DIOECESIS EBEBIYINENSIS CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Qui superiore anno pastor ipse et clerus populusque fidelis communitatis ecclesialis Ebebiyinensis in Guinea Aequatoriali laetati magnopere sunt ac merito gratulati quod ipsa a Nobis rite constituta dioecesis esset, plures noluerunt praeterire annos quin eiusdem gregis vita et opera progressus et prosperitas concrederentur alicuius Patroni Caelestis validae tutelae precique ante omnipotentem Deum. Cum autem christifideles eorundem locorum Beatam Mariam Virginem Christi Domini Matrem nomine «Santa Maria de Begoña, Madre de Cristo» peculiari iam diu cultu prosequerentur, idcirco Venerabilis Frater Ildefonsus Obama Obono Episcopus scilicet Ebebiyinensis communibus omnium votis adsensus Matrem Dei sub memorato titulo caelitem suae dioecesis Patronam propria auctoritate declaraverat exindeque ab hac Apostolica rogavit Sede ut, quod sic ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis» sub numero 30 statutam peregerat, legitime confirmaretur. Nos vicissim talem pietatem communitatis Ebebiyinensis erga Sanctissimam Iesu Matrem laetissimo animo agnoscentes valdeque cupientes ut amor illorum fidelium ita vel magis excitetur et corroboretur in Dei Genetricem, libenter sententiam Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino ratam habemus deque Apostolica Nostra potestate Beatam Virginem Mariam de Begoña, Matrem Christi, apud Deum Patronam dioecesis Ebebiyinensis confirmamus, traditis simul consentaneis iuribus et liturgicis privilegiis secundum regulas nempe Instructionis quam diximus eiusdem Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino. Contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive in praesens sive in posterum tempus habeant. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Decembris, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana